

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sacra anaphonesis per viginti quatuor offertoria de
tempore et sanctis in 2 partes distributa**

Rathgeber, Valentin

Augustae Vindelicorum, 1726

Ad Philomusum

urn:nbn:de:bsz:31-36492



VIXX Ad Philomusum.



FFertoria offero tibi Benevole Philomuse viginti quatuor, quasi totidem citharas, quibus viginti quatuor Seniores Apocalyptic cantabant Agno immaculato canticum novum. Ut tu iisdem glorifices, laudesque Viventem in Sæcula Sæculorum. Apocal. 5. v. 7. & 8. Si hanc meam secutus fueris intentiō nem, aggratulabor labori meo; cui minimè aliās (quām vehe mentē etiam Bibliopola, pluresque Musices Amatores compulerint magis, quām rogārint) manum admovissem. Utē ergo iis ad Dei gloriā tam in festis Domini, quām Sanctorum, ea que producendo tuum benē instrue Chorum Vocalistis, Chelistas duplica, uno ad minimum concomitante Violoncello. Tubas, vel Cornua ex diversis clavibus ad libitum adhibenda censui, ut nec solennitatibus desit applausus, nec ex tubarum defectu manca sit tua Musica; quam si brevem optas, in finali ante ultimam Vocem Solam desinas. Tuo id relinquo beneplacito; meaque Offertoria benevolo accipe judicio: quod si forte nimis criticum foret, scito: Nec pro crisi tuā esse composita, sed pro Dei gloriā; quā si per ea promoteatur, meus adimpletus scopus est. Critico placere nolo: Neque propterea, quia Critico displicant, omnibus displicant. Ede tua, & illa non omnibus placebunt; Artificio etenim summo Composita Musica non singulis placet: an propterea pretium perdit? Scilicet nihil est ex omni parte beatum. Consonantem Ego meditatus sum harmoniam pro gloriā Dei: Tu si plura in istis requiras offortoriis, falleris omnino, quia Ego ipse plura meditatus non sum. Si nec hoc sufficit crisi tuā? quāre tuo sapidiora gustui; nec in video; sed opto, ut invenias,
& Valeas.



Index